



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput I. Quomodo primus Prior B. Meinulphi Monasterij sit electus, & de
ipsius Virtutibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

tanter insummebat : circa quam refectionem quid amplius factum fuit , non tacebo ; Ramusculus namque Sylvestris cum fructibus suis , qui *accasij* nominantur , super ignem ustulatus Episcopo ad mensam sedenti ab honorabili Domino , Domino Hermanno Droge-
mundt me vidente apportatur , & quia idem Monasterium inhabi-
tantes de hujusmodi spinarum amaris fructibus propter ciborum pe-
nuriam edere solebant , manu ipsius injecta spinis , fructum decer-
psit , & comedit.



P A R S II.

De primo Priore Monasterij S. Meinulphi.

C A P U T I.

*Quomodo primus Prior B. Meinulphi Monasterij sit electus,
& de ipsius Virtutibus.*

Porro dehinc anno Incarnationis Domini 1410. Dominus DEUS Pastor bonus ac pius volens Monasterio B. MEINULPHI (quod diu absque utili regimine fuit) de bono pastore providere , Fratres Monasterij Congregati in locum capitularem , qui pro tunc retro summum Altare fuit , præhabita oratione Fratrem Joannem Sewaldi ex ipsis unanimi consensu in Priorem & Pastorem prædicti Monasterij elegerunt. Bene hic à Deo electus est , ut pauperi loco præesset , qui bonis moribus ad alios instituendos sufficiens erat , multisque aliis virtutibus adornatus fuit ; namque homo multum humilis , austerus sibi aliis benignus , pacificus , quietus , moribus compositus , DEUM timens , & in ipsum confidens , charitativus , & in observandis tam in se , quam in subjectis satis fuit rigorosus : quæ omnia in sequentibus sigillatim declarantur.